

ejus
ntiis,
Nar-
litica
riete
ilenei.
ruin-
arari
omnis
nihil
quo-
e. g.,
a ex
tatis
vir
caum
num
rici,
non
et
dare
hoc
atio
tio.
tem

sto-
sto-
ulos
bet.
cet

am
uid
qua
ic.,

ignorare praecipuos eventus vitae Ecclesiae, per quam genus humanum summa bona accepit. Juxta Melchiorem Canum, "rudes sunt theologi illi in quorum lueubrationibus historia muta est" (1). Scientia enim historica utilissimum vel etiam necessarium complementum saerae theologiae est. Nam historia Ecclesiae est apologia religionis christiana: origo, propagatio et conservatio ejus per saecula est "divinae suae legationis testiinonium irrefragabile" (2). Argumenta Traditionis, quandoque etiam argumenta Scripturae, non bene intelliguntur nisi in lumine historiae. Experientia saeculorum docente, moralista media instaurandae disciplinae addiscit, mentisque gravitatem acquirit, qua a rigidioribus conclusionibus refugit. Caeterae disciplinae ecclesiasticae, ut jus canonicum, liturgia, etc., intime commisceentur vitae Ecclesiae et perpetuo supponunt cognitionem ejus historiae.

Denique, inimici Ecclesiae objectiones suas ex historia praeassertim desumunt. Jamvero, cum facta aut pervertant aut male interpretentur, generaliter sufficit res reete expondere ut inanitas objectionum appareat. Ecclesia lueem non timet, et nonnisi veritate indiget. Modernistarum schola, philosophicis decepta praejudiciis, Ecclesiam ut inventum sensus religiosi humani explicat et erroneam factorum interpretationem perpetuo proponit. Horum perversum sensum sola cognitio historiae potest detegere et redarguere.

3. METHODUS. Cum scientia historica sit de rebus gestis et totaliter pendeat a testimonio coaevorum, methodus cui omnino adhaerere debet est exclusive methodus a posteriori. Historicus igitur debet interrogare omnes testes factorum narrandorum et juxta eorum testimonium narrationem suam confidere nec unquam imaginationi indulgere. Sed non debet inconsiderate omnibus credere: debet in primis *criticen fontium* instituere, id est inquirere de auctoritate testium, nempe de eorum scientia et veracitate.

Tres conclusiones sunt possibles: aut testes desunt, vel, si adsunt, aut, concordant vel sibi contradicunt mutuo. Quodsi

(1) Mel. Can., *De locis theologicis*, l. 11, cap. 2, 1.

(2) Conc. Vat.. Sess. 3. cap. 3. Denzinger-Bannwart, 1794.